



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1692**

Caput XXI. De Placitis Principum sæcularium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

Papæ, & vim legis obtinent. Allegari tamen possunt & cæteræ Sententiæ SS. PP. ob auctoritatem, quam habent apud fideles, ut diximus ad probandas & decidendas causas in rebus, de quibus jus non disposuit, sicque post Constitutiones Pontificum & Decreta Conciliorum juxta Canisium in causis decidendis auctoritatem afferre possunt.

## C A P U T XXI.

## De Placitis Principum sæcularium.

*An & quæ vim habeant obligandi personas Ecclesiasticas.*

**S**Tatuimus Cap. 12. quintum Juris Canonici fontem esse Placita Imperatorum & Principum sæcularium, quia quamplurimæ leges & statuta illorum Principum inserta sunt Juri Decretalium, & Constitutionibus Summorum Pontificum, ex quibus Jus Canonicum confectum est. Quamvis vero placita & statuta sæcularium, etiam quæ honesta sunt & utilia, nec libertati Ecclesiæ inimica, priusquam à S. Pontifice & Ecclesia approbata sint nullam vim habeant ex se obligandi personas Ecclesiasticas,  
nec

nec eos circa aut res eorum disponere possint, cum Imperium Sacerdotio non præsit, sed subsit. *c. 6. de Maj. & Obed. c. 10. de Constit.* nihilominus in iudicio Ecclesiastico recipiuntur, cum Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuventur. *c. 1. de nov. oper. nuntiat. & Juris Canonici sanctione. Juris Civilis subtilitate decorentur. Bald. in Procem. Decret. hinc S. Augustinus l. 2. contralib. Petiliani c. 58. Si in adiutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. c. 7. dist. 10. Cum profuant ex eodem fonte Canones & justæ leges, nam divinitus per ora Principum promulgata dicuntur. c. ult. caus. 16. q. 3. ideoque *Sacratissima* appellantur *l. leges Sacratiss. C. de Leg. & Sanctissima l. 1. Vicar. & extraord. Cognit.**

Jam vero si Imperatorum & Principum placita inserta sint Corpori Juris Canonici, juris quoque Ecclesiastici robur & auctoritatem obtinent, nam ut Imperatores, sic & Summi Pontifices omnia sua faciunt, quibus auctoritatem suam impertiunt. *l. C. de Jur. vet. eund. atque ita pari cum Canonibus necessitate obedientiam exigunt. Barb. 10. c. Ecclesie de Const. in prætermis.* Nullius ergo temer-

meri-

meritate leges Imperatorum debent corrumpi, sed ab omnibus observandæ sunt, *c. fin. Dist. 10.* dummodo sacra Scripturæ vel Decretis Canonum vel bonis motibus non aduersentur. *c. 1. 3. 4. & seqq. dist. 10.* nec quicquam de rebus aut personis Ecclesiasticis statuunt. *c. 7. de Constit.*

C A P U T XXII.  
De Decreto Gratiani &  
Paleis.

*Quomodo dividatur Jus Canonicum scriptum. De Gratiano auctore Decreti. An Decretum habeat auctoritatem legis, & quam habeant auctoritatem Glossa & Rubrica ejus. Quomodo dividatur, & quid contineat Decretum. Palea cur ita dicantur, & quo auctore scripta. Quam habeant auctoritatem.*

I.  
Jus Canonicum scriptum dividitur in Jus commune & speciale. *Tholos. l. 1. tract. 2. c. 14.* Commune latum est pro universa Ecclesia; Speciale pro certa Provincia, Dicecesi vel loco; Hoc intra illius fines, istud omnes fideles obligat. Jus commune Canonicum constituunt